

Resp. Pilatus *ironicè* loquitur. *Major* in sensu proprio: *Minor* interrogativè accipitur. Sic idem interrogat Christum *Job. 18. 38. quid est veritas?* (NB. per Anagramma: *est vir qui adest, Christus* nempe, qui est *veritas & vita Job. c. 14. v. 6.*) E. Pilatus veritatis studiosus fuit? Non certè. Latet enim in hujus quæstionis pronunciatione *Ironia*, quæ Pilatus non veritatis inquirendæ amorem expressit; sed *ironicè* ut Judex profanus, omnia in religione esse fabulosa, nec veritatis inquisitione turbandam esse tranquillitatem publicam significavit. Sic Christus ait discipulis *Matth. 26. 45. dormite & quiescite.* Resp. est *Ironia*, sed paterna, nam *v. 41.* jusserat eos vigilare, quæ dicat: *Vos miseri homines potestis esse tranquillissimi & quieti in tanto periculo, in tantâ calamitate, quæ mihi & nobis impendet.* Est descriptio securitatis humanæ in maximis periculis, & in mediâ morte.

Tale est illud Satyrici: *Usg; adeonè scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?* *Ironicè* enim à Poëta dicitur, & vulgò absq; ironiâ accipitur. Vult enim hoc Poëta, posse